Posnanien. Parochiæ.

1 *Reu.* Pater. Reu. D. *Laurentius RucinsKi* Parochus Niepruszouien. Principalis *indebitè* accusatus de nonnullis ass. defectibus commissis in exercitio Curæ Animarum, nec non de crimine suspectæ conuersationis Mulierum, quamuis huiusmodi ass. defectus legitimè probati non essent nec trina præcesserit monitio ad præscriptum *Sacrorum Canonum, ac Sac. Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 14. de reformat.* omnino necessaria, nihilominus per decretum latum *Sede Vacante* sub die 19. Decembris 1738. per Administratorem Generalem Posnaniæ Parochia perpetuò priuatus fuit, ac malo fato eiusdem Parochi *RucinsKi* ad Curiam Metropolitanam Gnesnensem iustè appellantis, non dissimilem infaustam sortem inuenit, dum præcipitantèr, nulloque pręhabito Causę examine, Curia Metropolitana, *Sede* pariter *Vacante*, per simplex decretum moderationis appellationis causam *pro executione* die 29. Aprilis 1739. remisit ad Curiam Posnaniensem, *Summ. num. 1. litt. A. B. & C.*

2 Non obstante appellatione pendente ab huiusmodi decreto, Curia Posnaniensis ad pręsentationem *Georgei* Rosbicki *Acatholici* Possessoris Villæ Niepruszouien. institutionem tribuit Reu. *Antonio Proleuicz* ad Parochialem Ecclesiam Niepruszouien. Decreto lato die 14. Decembris 1740., *Summario dicto num. primo litt. D.*, & pro effectu dandæ possessionis Parochię pręfato Proleuicz subdelegatus fuit Canonicus Ioannes Krail asperrimi ingenij, ac pecuniarum auidi, qui vna cum quodam Religioso Franciscano, alijsque consocijs per summam vim, & violentiam, amoto, ac carceribus mancipato *Reu. Rucinski* Principali, intruserunt in possessionem dictę Parochię Reu. *Proleuicz*, cuius horribilia facta videre supplicamus in *Summario num. 2.*

3 Ab hisce nullitatibus, grauaminibus, & violentijs iterùm recursum habuit infelix *Rucinski* ad Sacram Nunciaturam Apostolicam, sed iustè timentibus suis maleuolis de infirmatione, & circumscriptione omnium gestorum contra eumdem *Rucinski*, continuarunt hunc retinere in Carceribus, in quibus ne diutiùs marcesceret iuxta minas ei factas, facile fuit eumdem inuitum *propter vim, & metum* de mense Decembris anni 1740. inducere ad renunciandum liti, & appellationi, necnon Parochiæ Niepruszouien. fauore dicti Proleuicz Aduersarij, ac in locum istius Parochiæ acceptare aliam Parochiam Villæ Tabnen sibi a Curia Posnaniensi oblatam [& hic notetur, quod ipsa Curia Posnaniensis dignum fatetur Reu. Rucinski Regiminis Parochiæ, non obstantibus impictis criminibus] prout de metu, & violentijs Reu. Rucinski Principali illatis pro eo inducendo ad huiusmodi actum renunciationis constat ex *Summ. n. 3. 4., & 5.*

4 Nouis ab hisce grauaminibus, violentijs, & attentatis non destitit Reu. RucinsKi Principalis denuo, & statim, ac libertatem fuit

consecutus, ad Sacram Nunciaturam Poloniæ prouocare sub die 18. Februarij sequentis anni 1741.; Quamuisque hoc tempore causam prosequi non valuerit tùm ob *paupertatem*, qua summoperè præmebatur ratione priuationis Parochiæ, & anteactæ litis expensarum, dum quasi in pænam eiusdem litis soluere etiam debuit non leuem pecuniarum summam Instigatori Curiæ Episcopalis, necnon supradicto Canonico Krall, *Summario num. primo litt. I.*, *& num. 4. litt. A.*, tùm ob infirmitatem, in quam miserrimè inciderat, quaque oppressus remansit per tres annos continuos, *Summario num. 6.*, nihilominus reassumpta Causa sub die 5. Septembris 1749. ad instantiam præfati Rucinski, post maturum Causæ examen laudata Sacra Nunciatura præcedentia Iudicata cum omnibus inde sequutis infirmauit, ac circumscripsit, necnon amoto a Parochia Niepruszouien. Reu. Proleuicz Aduersario, ad illam merito reintegrandum esse dixit Reu. RucinsKi Principalem, *Summario num. primo per tot.*

5 Nouerunt Aduersarij hanc Sacræ Nunciaturæ sententiam confirmatam fore, si Causa hic in Curia examinata fuisset, idcirco curarunt illam per Breue appellationis committi sibi beneuolis tribus Iudicibus in ipsa Ciuitate Posnaniensi existentibus, nempè tribus Canonicis Cathedralis; Quum vero Principalis ex iustissimis causis habens perhorrescentiam illorum, eosdem recusauerit, ac in suspectos meritò allegauerit sub die 6. Nouembris dicti anni 1750 *Summario num. 7., & litt. A.*, quumque Iudices delegati, serena fronte dissimulantes recusationem in eorum personas factam, sub die 6. dicti mensis mandauerint iterum citari Reu. Principalem pro secunda Iuris post Epiphaniam, prout factum fuit *Summario num. 8. litt. A. B., & C.*, hinc Principalis eo magis ex eiusmodi agendi methodo perhorrescens illorum Iudicium, citationem specialem pro adeundo hoc Supremo Tribunali expediuit, eaque in Partibus contra Aduersarios executa, ac proprijs expensis transportato integro Processu, porrigit modo *Commissionem* in calce impressam, quam tuta spe confidimus signandam fore cum clausula *præuia reportatione Breuis ad Rotam circumscriptis omnibus gestis coram Iudicibus delegatis*, prout humillimè supplicamus.

8 Quod spectat ad reportationem Breuis, ac circumscriptionem Actorum coram tribus Iudicibus delegatis gestorum, res caret omni difficultate; Quandoquidem certum, atque indubitatum est, Iudices delegatos etiam à Supremo Principe, & signanter ab Apostolica Sede maiori facilitate, quàm Ordinarios Iudices posse recusari, ac in suspectos allegari, quoties concurrat aliqua iusta, & probabilis causa suspicionis, vt sunt expressi *Textus in can. Quod suspecti 3. quæst. 2., in cap. Iudex 5. de offic., & potestat. Iud. delegat. in 6. in cap. postremo de appellat., & in leg. apertissimi Cod. de Iudic.*; Hocque adeo verum est, vt procedat etiam in casu, quo Summus Pontifex *motu proprio* Iudices delegauerit, vt obseruat *Passer in. in cit. cap. Iudex de offic., & potest. Iud. delegat. in 6. num. 2., &*

Pirhing.

Pirhing. in decretal. lib. 1. tit 29. sect. 6. §. 3. n. 153. ibi = *Iudicem delegatū à Principe potest Pars litigans ex probabili causa recusare vt suspectum, tametsi proprio motu datus sit, quia Princeps in dubio non censetur velle Iudicem suspectum dare Abbas hic num. 6., nisi Papa expresse, vel tacitè inhibeat, ne recusetur.*

7 In discrimen autem reuocari non potest, quin iustæ, ac probabiles sint causæ, ob quas R. D. Parochus Rucinski Principalis in suspectos allegauit omnes tres Iudices *ad placitum* Dominorum Aduersariorum in Breui Apostolico nominatos, quæque legi poterunt in libello, seù Instrumento Recusationis, vallato etiam eiusdem R. D. Principalis iuramento, ac subscriptione *Summario num. 7., & litt. A.*; Etenim prima, ac secunda causa expressa valde probabilis, & verisimilis est, quod sufficit ad recusandos precipue Iudices, qui non sunt ordinarij, sed delegati, prout ad normam *Text. in cap. causam quæ, & in cap. Insinuante de offic., & potest. Iud. delegat.* aduertit cum alijs *Passerin. in cap. si contra vnum 4. num. 14. de offic., & potest. Iudic. delegat. in 6.*

8 Tertia vero causa multò fortiùs est probabilis, & iusta, immo in iure approbata, quia eo ipso, quod Ioannes *Krall* Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Posnanien. fuit Iudex subrogatus à Ven. Consistorio Posnaniensi pro concedenda institutione ad controuersam Parochiam fauore R. D. Proleuicz Aduersarij, & pro remouendo ab eadem Parochia R. D. Principali, aduersus quem tot inhumanas violentias exercuit, vt in *Summario num. 2., & 3.*, quodque etiam idem Canonicus *Krall* condemnatus fuit in sententia Sacræ Nunciaturæ, de qua *Summario num. primo*, ad refundendas marcas per ipsum a R. D. Rucinski indebite exactas, de quibus in eodem *Summario num. 4. litt. A.* iure, meritoque Principalis perhorrescit Iudicium omnium trium Iudicum Delegatorum, vtpote *Canonicorum* eiusdem Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis, qui proinde de iure sunt suspecti in Causa, in qua alter Concanonicus interesse quodammodo habet, *cap. cum Raphael 35. de offic., & potest. Iud. deleg.* ibi = *Exceptis Canonicis Ianuensibus, qui cum sint eius Socij, seù Canonici,* MERITO PARTI ADVERSÆ ESSENT SVSPECTI =, & notat *Pirhing. in decretal. lib. 1. eod. tit. num. 151. vers. notandum tertio.*

9 Quarta denique causa plusquam iusta quoque reperitur, dum omnes tres Judices delegati iuncti sunt amicitia cum Generoso *Ioanne Rozbiski* Acatholico, qui est acerrimus Protector R. D. Proleuicz ab ipso tamquam Domino, & Possessore Villæ Niepruszouien. ad Parochiam nominati, & presentati, vt patet ex *Summario numer. primo litt. D.*; Stante autem amicitia prefati *Ioannis Rozbiski*, interesse quodammodo habentis in Causa, & Protectoris R. D. Aduersarij cum Iudicibus delegatis, nulli dubium est, quin Principalis iustam, & probabilem habebat causam recusandi eosdem Iudices delegatos, ne in Causa vlterius procederent iuxta *Text. in leg. nullum pænitus 14. Cod. de Testib.*, & in proposito aduertit *Gallnzz. in prax. par. 1. cap. 4. n. 30.*

 Ne-

10 Neque dicatur, quod amicitia prefati *Rozbiski* cum Iudicibus ex nullo probetur documento; quia nedum de iure Ciuili, sed etiam de iure canonico causa suspicionis contra Iudices *Delegatos* allegata (quidquid sit contra Iudices *Ordinarios*) solo iuramento Recusantis probata legitimè remanet, *Rot. coram Caputaquen. decis.* 102. *par.* 1., & *Ridolphin. in prax. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 127. ibi = *Causa vero suspicionis de iure ciuili probatur iuramento Adden.* &c. *sed de iure canonico secus est; nam plene probari debet* &c. *quod limitatur in Arbitri, Consultoris, Notarii, & Procuratoris recusatione, nam causa quoad eos probatur iuramento* &c.; IDEM PROCEDIT IN RECVSATIONE IVDICIS SVBDELEGATI, NAM, ET ISTA IVRAMENTO PROBATVR, *Caputaquen.* &c.

11 Si ergo Iudices delegati etiam ab Apostolica Sede possunt in suspectos allegari, & quidem maiori facilitate, quoties præsertim, vt in casu, dati sunt à Papa ad arbitrium, & beneplacitum ipsius Partis Aduersæ, sique causæ suspicionis à Reu. Domino Principali allegatæ, non sunt friuolæ, sed probabiles, & iustæ, vt nuper ostensum est, sequitur indè, quod, cum Iurisdictio Iudicum delegatorum iustè recusatorum expirauerit, nequeantque in Causa vlterius procedere ad expressos *Textus in cap. Causam* 17., & *in cap. Cum insinuante* 25. *de Offic.*, & *potest. Iud. deleg.*, sine vlla dubitatione ordinanda sit reportatio supradicti Breuis appellationis, quodque etiam omnes actus coram dd. tribus Iudicibus post recusationem, & allegationem eorum in suspectos gesti, fuerint omnino irriti, & nulli, vt definitur in *cap. cum super* 23. *de Offic.*, & *potest. Iud. delegat. in fin.*, ibi = *Ex quo sequitur, quod acta horum duorum Delegatorum Iudicum omnino sint irrita* =, ac per consequens ab hoc Supremo Tribunali circumscribendi iuxta notissimum iuris principium, de quo latè in specie actorum gestorum coram Iudice recusato *Ridolphin. in prax. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 120. *vsque ad n.* 124.

12 Quod verò attinet ad remissionem Causæ ad Sacram Rotam, instantia æqua est, & iusta; Quamuis enim Parti Aduersæ vti appellanti à Sententia Sacræ Nunciaturæ liberum sit Iudicem appellationis arbitratu suo eligere ad notata per *Abbat. in cap.* 7. *numer.* 20. *de appellat.*, & *Marchesan. de Commiss. part.* 2. *cap. primo numer.* 57., & *Scacc. de appellat. quæst.* 15. *artic.* 2. *numer.* 99., nihilominus hæc libertas appellanti tributa, Parti non prodest in præsenti casu, in quo non agitur de auocanda Causa, quæ in Partibus pendeat vel coram Ordinario in prima, vel coram Metropolitano in secunda, vel coram Sacra Nunciatura in tertia Instantia, in quibus terminis præfata regula appellanti faueret, ne Causa auocaretur à Metropolitano, vel à Tribunali Nunciaturæ, quatenus Pars non immediatè ad Sanctam Sedem, sed ad vnum, vel alterum dd. Tribunalium appellasset.

13 Sed res est de Causa iàm ad Supremum Principem, eiusque Romanam Curiam deuoluta per appellationem ab ipsa Parte *ad Sanctam*

Se-

Sedem interpositam à Sententia Sacræ Nunciaturæ, lata in tertia Instantia post absolutam primam Ordinarij, & secundam Metropolitani, propterea que in hac hypothesi quum agatur de Causa iam deuoluta ad Romanam Curiam vigore appellationis ab ipsa Parte interpositæ *ad Sanctam Sedem*, hic in Curia cognoscenda, & terminanda est, non autem in Partibus per Breue subdelegationis trium Iudicum, quæ subdelegatio veluti pendens à solo arbitrio Supremi Principis *de Iure* non competit Parti appellanti, quum potiùs iuris communis dispositio faueat Principali, vt Causa post terminatas tres Instantias de Partibus cognoscenda sit per Iudices Romanæ Curiæ ad quam iàm deuoluta, reperitur ex animaduersis per *Carleual. de Iudic. disput.2. quæst.6. sect.7. nu.579. & Rot. dec.77. n 9. cor. Dunozett.*

14 Potissimum ponderata duplici facti circumstantia, altera, quod integer Processus Actorum de Partibus iàm ad Vrbem transportatus reperitur sumptibus Reu. Principalis, ità vt Pars Aduersa appellans per firmationem Causę hic in Curia pati non debeat expensas transportationis Actorum, cæteroquin ad eam de Iure spectantis, vndè eo magis iustum, & æquum est, vt causa non exeant à Curia, ad quam Pars ipsa appellauit, & Principalis acta proprijs sumptibus transportauit; Altera vero circumstantia est, quod agitur de *grauissima* Causa priuationis Parochiæ, quæ pæna priuationis assimilatur *à Doctoribus* ipsi pænæ capitali, ac propter durationem maior est pæna excommunicationis *Piasec. in prax. Episcop. cap.4. art.14. numer.16.*, quapropter spectata etiam *grauitate* Causę, melius est, vt post *varium* Iudicium Ordinarij, Metropolitani, & Nunciaturæ Apostolicæ, Causa examinetur, ac definiatur in Romana Curia per Iudices spectatissimos, ac iuris prudentiæ, & Sacrorum Canonum peritissimos.

14 Aliàs enim si per Breue iterum committatur ad Iudices Ciuitatis *Posnaniæ*, certus est pauper, & infelix Principalis succumbendi, prout succubuit in prima Instantia, non obstante, quod nonnulli testes exaduerso inducti ad probationem ass. criminum fuerint nulliter examinati, nulli de causa scientiæ interrogati, alij sine iuramento deposuerint, alij de auditu tantum testentur, alij exceptiones tùm in persona, tùm in dicto patiantur, itaut perfecta, & concludens probatio ass. criminum defecerit, quinimmò exclusa penitus ab alijs Testibus per Principalem productis, & formiter examinatis, & non obstante, quod non præcesserit *trina monitio* omninò *prò forma* per Sacros Canones, & pręcipuè per Sac. Conc. Trid. *sess.25. cap.14. de ref.* requisita, priusquam Ordinarius deuenire possit ad priuationem Beneficij, vt obseruant *Cardinal. de Luc. de benef. disc.75. numer.11.*, alijque communiter *Canonistæ*.

15 Crescit timor non probabilis dumtaxat, sed certissimus in Domino Principali succumbendi coram Iudicibus Ciuitatis *Posnaniæ*, vbi Reu. Proleuicz intrusus in Parochia Niepruszouien. Aduersarius

rius magnæ authoritatis Fautores habet, & præcipuè *Georgeum Rosbic Ki hæreticum*, ac Possessorem Villæ Niepruszouien., ad cuius præsentationem fuit nulliter institutus in Parochia à Curia Posnaniensi contra prohibitionem *Textus in cap. quicumque vers. adhæc hæretici de Iurepatr.*, è contra vero Reu. Rucinski Principalis plures habet maleuolos in eadem Ciuitate, proùt patefaciunt plusquam exprimi possit, violentiæ, & grauamina sibi contrà omnem *iustitiæ*, *æquitatis*, *& charitatis* rationem illata, quę distinctè recensuimus in genuina *Facti* narratione, comprobata etiam à Documentis impressis in *Summario numer.2. 3. 4. 5. 6. 7.*, *& 8.*

Quarè &c.

Antonius Dominicus *Franci.*

Posnanien.

BEATISSIME PATER.

Commissio signanda. EXponitur humiliter S. V. prò parte deuot. illius Oratoris Laurentij Rucinski Patochi Ecclesiæ Parochialis Niepruszovien., qualiter lata de anno 1738. non minùs nullitèr, quàm iniustè in Curia Episcopali Posnaniæ ad Instantiam Promothoris Fiscalis, Sententia spoliatiua ipsius Oratoris dicta Ecclesia Parochiali, fuit subindè per Curiam Metropolitanam Gnesnen. moderata citatio vigore appellationis ex eadem emanata, & remissa Causa ad ipsam Curiam Posnanien. prò executione præfatæ eius Sententię; Interposita verò ex parte Oratoris appellatione ad Tribunal Nunciaturæ Apostolicæ Poloniæ ea pendente eadem Curia Posnanien. in possessionem prędictæ Ecclesiæ Parochialis Niepruszovien. intrusit Antonium Prolevicz Aduersarium, vndè de anno 1750. per pręfatum Apostolicæ Nunciaturæ Tribunal omnia acta gesta tàm in Curia Posnanien., quàm in Curia Metropolitana Gnesnen. circumscripsit, Oratorem nullitèr, & iniustè spoliatum in possessione dictæ Parochialis Ecclèsię manuteneri, & quatenus opus esset, reintegrari mandauit, & ad restitutionem fructuum, & prouentuum dictæ Ecclesiæ, & ad expensas, & damna Aduersarios condemnauit. Nuper verò cum Pars Aduersa per Breue S. V. causa huiusmodi committi curauerit tribus Judicibus in Partibus à Iudicato d. Tribunalis Nunciaturæ, licèt Orator eosdem in suspectos allegauerit, ac iuramentum perhorrescentiæ pręstiterit,

rit, adhuc ad vlteriora procedere non sunt veriti; Dignetur itaque S. *V.* causam, & causas appellationis, & appellationum huiusmodi exaduerso interposit. *reportato dicto Breui, ac circumscriptis omnibus actis coram Iudicibus subdelegatis*, vna cum omnibus suis inciden. &c. totoque negocio principali, ac quam, & quas &c. alicui ex Sac. Vestri Palatij Causarum Auditoribus, seù Locumtenentibus audien., cognoscen., deciden., exequen., fineque debito terminan., committere, & mandare, cum facultate citandi dd. Aduersarios &c., eisque inhibendi &c., aliaque facien. &c. in præmissis quomodolibet necessaria, & opportuna, *Constitutionibus &c. statum &c. prò plenè &c.*

Signatura Justitiæ
R. P. D.

M A N N E L L I

Posnanien. Decimarum.

P R O

Rev. D. Laurentio Rucinski Parocho Nieprusƶovien.

C O N T R A

RR. DD. Instigatorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Posnanien., ac Antonium Prolevicz.

D

Facti.

Proponam die Jovis 14. Dec. 1752.

U. Mannelli.

Pro prima.

7

Typis Bernabò 1752.

Druki rzadkie

dotyczące dziejów

różnych województw polskich

20.000